



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Literae Gvidonis Comitis Alverniae ad Dominum Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

286 Epistolarum Innocentij III.

quia ea quæ ad tantum officium pertinet, per se, prout singulis expediret, non valet præfessionaliter exercere, tam vos quæm alias ministros Ecclesiarum in partem solicitudinis advocavit, ut sicut tanti onus officij per subsidiarias actiones commodiū supportetur. Inde est quod cùm Ecclesia beati Martini Turen. nostra filia specialis existat, nec ei possimus in quibuslibet necessitatibus suis præfessionaliter, prout tenemur, adesse, nos ministerium nostrum, quod eidem impendi non potest, vestræ solicitudini committentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dilectis filiis Canonicis ipsius Ecclesiæ, quoties ad vos pro irrogatis sibi injuriis duxerint recurrentum, de malefactoribus suis constitutis in terra caris. in Christo filij P. illustris Regis Franciæ, appellatione remota, nullatenus differatis justitiae plenitudinem exhibere, ad id liberiū faciendum, quemadmodum videritis expedire, motione præmissa rigorem ecclesiasticum, prout justum fuerit, adhibentes. Datum ut supra.

Scriptum est in eundem modum Episcopo & Decano Pictaven.

PICTAVEN. ET CENOMANEN.
Episcopis, & Abbatu de Fontana.

Epiſt. 496.
Ejusdem argu-
menti.

Protestatis apostolicae &c. ut supra usque ad verbum committentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus ad eandem Ecclesiæ accedentes, ea quæ tam in vestimentis Canonicorum inordinatis quæm divinis obsequiis, meditationibus, & firmis tempore residentia facienda, & aliis tam spiritualibus quæm temporalibus videritis corrigenda, cum consilio eorum quos in ipsa Ecclesia maturioris & seniorioris consilij esse noveritis, auctoritate apostolica sublatu contradictionis & appellationis obstaculo, Deum solum habentes præ oculis, corrigentes, eos quos vestris institutionibus contrarios inveneritis aut rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescatis, ita in hoc provisione sollicita procedentes, quod studium vestrum apud Deum & homines multipliciter appareat commendandum. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut supra.

CONVENTRENSI EPISCOPO.

Vitium simoniaca pravitatis quantum Deo sit odiosum, & quanta ex eo sequatur pernices animarum, fraternitatem tuam credimus non latere. Inde est quod cùm, sicut audivimus, plures Clerici de tua dioceſi sua sint beneficia simoniaca affecuti, ita quod ex hoc magnum scandalum in populo generetur, tibi præsentium auctoritate duximus injungendum ut illis qui legitimè convinci poterint ecclesiastica beneficia taliter obtinere, amotis, tibi ea liceat, appellatione remota, personis idoneis assignare; alios vero qui canonicè convinci non poterint, si fama publica noveris laborare, ad purgationem canonicanam subl. appellationis diffugio nostra possis auctoritate compellere, ne scandalum in populo generetur. Vellemus autem quod circa primordia promotionis tuæ majorem nobis & Ecclesiæ Romanae reverentiam impendisses, Datum La-

Epiſt. 497.
De pectoralino
niacorum.

LITERÆ GUIDONIS
Comitis Alvernæ ad Dominum
Papam.

Dominino Innocentio divina bonitate sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo & universalī Episcoporum Episcopo Guido Comes Alvernæ salutem cum omni reverentia, & hominij fidelitatem debitam. A parentum meorum fide non degenerare laboras, qui quoddam suum proprium castellum nomine *Vteo, Deo & sanctis Apostolis & Ecclesiæ sanctæ Romanæ sibique præsidentibus Domino Alexandro Papæ videlicer & successoribus suis delegarunt, aliud non minus præcipuum castrum à me noviter ædificatum, & meo nomine nominatum, præfata sancta Rom. Ecclesiæ dono & concedo, aurique unciam pro mea recenti mutatione transmitto. Vestram itaque protectionem & defensionem super fratrem meum R. Claramonten. Episcopum exorare, sicut viderur, decrevi: quoniam idem frater meus prefatus Episcopus, conjunctis & adunatis sibi Coterelorum & Basclorum ruptis diversis, in præjudicium sui ordinis & prævaricationem totius juris, terram meam incendiis, homicidiis, & rapinis, & quibuscunque potest malitiis devastat. Vestra

Epiſt. 498.
Romana Eccle-
sia castrum de-
natur, fratrique
fui cantum co-
mendat Ponti-
fici.

* Lig. Bullion,
ut mentem habili-
lus in tripla
Historia Domini
Turriani pag.
40. Videiam
pag. 36, in ut
ad Collectione
legitime Vito.

itaque sanctitatis pedibus prostratus, preces fundo, ut eum à tanta injuria revocetis, & sententiam excommunicacionis, quam in terram meam præter præfata mala tulit, amoveatis, & judices vel examinatores cause nobis constitutatis Dominos Archiepiscopum Burdegalen. & Præpositum Evaunen. qui ab universis Abbatibus vicinis veritate cognita, remota appellatione, tantam injuriam terminare studeant. Precamur etiam ut latore præsentium super his & aliis quæ intimerit credatis.

COLOCEN. ARCHIEPISCOPO.

Epist. 499.
De reformatio-
ne monasterij
S. Stephani de
Keu.

Cum nobis, licet immeritis, in apostolicæ sedis specula consistentibus sit universalum Ecclesiarum solicitude commissa, de statu illarum sollicitudinem nos convenit gerere diligentem, & providere attente ut per fratres & coëpiscopos nostros, cum non possimus ubique nostram præsentiam corporaliter exhibere, possint in melius reformari. Ex parte siquidem tua nostris est auribus intimatum quod cum bona memoriae Andreas antecessor tuus monasterium S. Stephani protomartyris, situm in loco qui dicitur Keu, concessisset fratribus S. Abrahæ de Valle Ebron, monachis nigri ordinis propter dissolutionem suam remotis, & iidem fratres S. Abrahæ bona ejus dilapidando, & ducendo vitam nimium dissolutam, ipsum deduxissent ad nimiam paupertatem, bona memoriae Celestinus Papa prædecessor noster & nos etiam tibi dedimus in mandatis ut restitucioni ejusdem monasterij provideres; tuo committentes arbitrio, utrum prædicti fratres S. Abrahæ tolerandi, an monachi nigri essent in ipso monasterio reducendi. Tu vero (sicut accepimus) fratres S. Abrahæ propter dissolutionem suam inde penitus abjecisti, & nos per petitionem tuam duxisti super provisione ipsius monasterij requirendos. Ideoque fraternitati tuae per præsentia scripta mandamus quat. si per monachos Ecclesiam illam videris reformari non posse, in ipsa Ecclesia Canonicos institutas regulares, qui secundum regulam beati Augustini devotum ibi Domino famulatum impendant, & per eorum religionem locus ipse in melius tuo faciente studio reformatetur. Datum Laterani XI. Kal. Ianuarij.

ILLVSTRI REGI VNGARIÆ.

Significantे venerabili fratre nostro Colocen. Archiepiscopo ad audienciam apostolatus nostri noveris pervenisse quod cum in dioecesi sua sint quamplures villaæ, in quibus Sclavi habitant, iidem Sclavi præfato Archiepiscopo decimas exhibere contemnunt. Quoniam igitur de regia serenitate confidimus, & speramus ut Ecclesiæ & earum ministros diligas, & earum comodis exemplo progenitorum tuorum diligenter intendas, excellentiam tuam rogamus atque monemus, per apostolica scripta mandantes, quatenus memoratos Sclavos, ut decimas debitas præfato Archiepiscopo sine diminutione persolvant, traditâ tibi potestate compellere non omittas. Datum ut supra.

Epist. 500.
Ut compellat
Sclavos deci-
mas persolvere.

ABBATI ET CONVENTVI
S. Petri Carnotan.

Cum monasterium vestrum multorum gravetur onere debitorum, ut vix ejus redditibus fratribus valeant necessaria ministrari, Abbates qui fuerunt pro tempore, sicut nostris est auribus intimatum, occasione promissionum de beneficiis non vacantibus tantis se pensionibus obligarunt, quod si etiam, ut dudum, monasterium in temporalibus abundaret, eas solvere vix valeret. Cum autem secundum instituta canonum, antequam videntur, non sint ecclesiastica beneficia promittenda, & quæ contra leges fiunt, haberri debeant pro inferis; vos & monasterium vestrum à promissis promotionibus & pensionibus denuntiamus auctoritate præsentium absolutos; cum nec regulariter valeat accessorum, ubi non obtinet principale. Datum Laterani III. Kal. Ianuarij.

Epist. 501.
Beneficia ec-
clesiastica ne-
mini promitté-
da antè quam
vacent.

EPISCOPO TRIPOLITANO.

Cum ex naturalis legis præcepto, quod Dominus in Evangelio declaravit, quæcumque volumus ut faciant nobis homines, & nos eis facere debeamus, & ex eo quod legitur in Thobia, *Quod tibi odis fieri, alij ne feceris*, ab aliorum teneamur injuriis temperare, nos, qui sacra docente scriptura monemur ne alij nostrum demus honorem, & ex apostolatus officio, quod, licet indigni, suscepimus, aliorum jura & præsertim

Epist. 502.
Eum transfert
ad Ecclesiam
Tripolitanam.
Vide supra epist.
50. & seq. &
117.